

à calore, quidam sputum Lunæ, quidam cor salis eandem nominauerunt.

Inquit PANDULPHVS: Scitote omnes sapientiæ inuestigatores, quòd aqua permanens est aqua vitæ munda, & quòd nullum venenum tingens generatur absq; Sole & sua vmbra. Qui enim Sapientum venenū Sole & eius vmbra tinxit, ad maximū peruenit arcanū. Si id intellexistis, ô Turba, benè quidem: sin autem operis vobis perfectionem reitero. Accipite album mundum, quod maximum est arcanum, in quo est veritatis tinctura, eiusq; arenam, quæ facta est ex lapide, septies imbuite, quousq; totam imbuat aquam, & vasis os fortiter claudite, quoniam ex eo apparebit lapis tyrii coloris. Sed cùm receperitis album mundum, & ceperitis septies eum imbibere, tunc accipiatis de aqua residuarum partium antea cōseruatarum, & sit ignis priore interior, & sic imbuite corpus septies, donec illæ duæ finiantur, seu deficient duæ tertiæ partes, easq; omnes terra bibat: deinde ipsum calido ponite igni, donec terra suum extrahat florem, ac satis placeat.

ARDARIVS inquit: Regimen lapidis & compositionem vobis enarrabo. Sumite occultum & honorabile arcanum, quod est magnesies alba, & quæ est cum viuo mixta, sed non accipiatis eam nisi puram & mundam, & suo imponite vasi, & orate Deum vt hunc maximum videre lapidem vobis concedat: deinde coquite eum lentè, cùm extraxeritis, videte si factus est niger, & si ita est, optimè rexistis: sin autem, regite ipsum albo, quod est maximum arcanum, donec appareat nigredo, & quidem pura nigredo, quæ 40. tantummodò diebus durat. Postea terite ipsum cum suis confectionibus, quæ sunt flos aris, aurum Indicum, quorum radix est vna ex vnguento crocco, & alumine fixo. Hoc itaque per 40. dies diligenter coquite: quo completo, initium lapidis Deus vobis ostendet. Coquite ipsum iterum, & gumi residuo imbuite, scientes quòd quoties cinerem imbutis, oportet ipsum toties siccati, & rursus humectari, donec eius color in id quod quæritis vertatur. Præter hæc sciatis, quòd huius lapidis preciosi perfectio est, ipsum regere residuo tertiæ partis medicinæ, & quas seruare, ad eū per viçes imbuendum, & ad iustum

Turb
11. 18.